



INSTITUTIONUM
ECCLESIASTICARUM

BENEDICTI XIV.
PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARD. DE LAMBERTINIS,

*Primum Anconitanæ Ecclesiæ Episcopi, deinde Bononiensis
Archiepiscopi.*

TOMUS PRIMUS.

*Editio quinta Latina post plurimas Italas, omnibus auctior,
& castigatior.*



SUPERIORUM PERMISSU.



MATRITI: Ex Typographia Viduæ Elifæi Sanchez, in Platea, vulgò,
de Santa Cathalina de los Donados. Anno 1768.

BEATISSIME PATER.



Celestia Institutiones, **BENEDICTE PONTIFEX MAXIME**, quarum Parens, & Auctor fuisti, latinitate donatæ, amplissimo tuo Nomini consecrantur. Servant eæ quidem pristinam naturæ vim, & præstantiam admirabilem, quam sibi ex ingenio tuo singulari, summaque rerum eruditione compararunt. Italica dumtaxat lingua, quæ necessaria fuerat, quum populum Bononiensem sacris disciplinis institueres, cum

Latina commutata est, ut hæc præclarissima doctrinæ monumenta, non una tantum Civitas suspiceret, sed omnis Christianus Orbis miraretur. Neque porro dissimulandum est, vernaculam dicendi rationem, licet aliis bene multis elegantia, suavitate, copia excellentem, angustis tamen spatiis circumscribi; Latinam vero iisdem, quibus Solis cursus finibus contineri. Siquidem nullus ferme ubique gentium inter Ecclesiæ Ministros cooptatur, qui Latinis litteris operam non contulerit, quibus Patrum fere omnium commentaria, ipsius Ecclesiæ leges, & instituta, Religionis arcana mysteria, scriptumque Dei verbum consignantur. Itaque cognoscent universi, **BEATISSIME PATER**, quam curam totius vitæ cursu, quosque labores pro communi omnium salute semper impenderis. Quippe in has eximias Institutiones congesta perspicient omnia, quæ possint Ecclesiasticam disciplinam in pristinum revocare, & morum corruptelas evellere; hoc est, pulcherrimam antiquitatis imaginem excitare, quam non mediocriter, neque uno in loco hominum negligentia, & ignorantia, diuturnitate temporis deformaverant. Ea vero libentius intueri, atque imitari debent, quod nihil temere, nihil inconsulto proferatur; sed omnia certissimis ex sacra antiquitate documentis, ac testimoniis, & Ecclesiasticæ eruditionis incredibili copia confirmantur. Neque sane id mirum cuiquam videtur. Nihil enim, quod siue ad humanum, siue divinum jus pertineat, eum latere potest, quem ab ineunte adolescentia suo veluti sinu sapientia educavit, & suis inde muneribus ornatum, cumulatamque, per omnes honorum gradus ad Summum Pontificatum evexit. Testantur hoc alia ingenii tui præstantissima monumenta, omnium consensu ita probata, ut, qui iudicium ferre possunt, multiplicem in illis doctrinam admirentur cum summa pietate conjunctam. Sed præsertim in ore

PROSPERI CARD. LAMBERTINI

ARCHIEPISCOPI BONONIENSIS

INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ.

INSTITUTIO PRIMA.

De Fontis Baptismalis benedictione, origine, & institutione: Quibus diebus fieri consueverit, & quinam ad illam convenire teneantur.



INTER ea, quæ sapienter instituta sunt, ut sacro majoris hebdomadæ tempore (1) Christianorum pietas, ac Religionis cultus magis exciteretur, Baptismalium Fontium consecratio adnumeratur.

2. Basilius quidem Magnus Cæsariensis Episcopus, (2) qui ab Ecclesia condita sæculo quarto doctrina, & sanctitate maxime floruit, hanc consuetudinem ab Apostolis traditam, & in posteros

derivatam testatur: quam Deus etiam certissimis signis palam comprobavit, ut in egregiis Commentariis de gloria Martyrum à S. Gregorio Turo-nensi sexti sæculi Scriptore exaratis (3) luculenter continetur.

3. Gregorius etiam Pontifex ob virtutem, ac sapientiam cognomen-to Magnus hujus vetustissimi ritus ordinem accurate, diligenterque com-plectitur in Sacramentario, (4) quod Hugo Menardus ex Ordine Bene-dictino vir sapientissimus in lucem edidit (5) præclaris notis exornatum. Hanc vero Fontis consecrationem non tantum Sabbatho majoris hebdo-madæ celebrari solitam accepimus, sed etiam in pervigilio Pentecostes, quibus diebus (6) Baptismus conferri more, Institutoque Ecclesiæ, (nisi aliter necessitas exposceret) unice consueverat. Nam quod traditur à Gre-

Tom. I.

A

80

(1) S. Joan. Chrys. Hom. 30. in Gen. (2) Lib. de Spir. S. c. 27. (3) Lib. de Glor. Martyr c. 23. (4) Pag. 71. (5) An. 1742. (6) Siricius Pont. in Ep. ad Himerium Episc. Tarrac. S. Leo Magn. in Ep. 4. & 80. Gelasius Pont. Ep. 1. c. 12.